



Vilmerus optimæ indolis adolescens patri Ge-
thrico in regno Gothorum successit, anno
Christi 130. Is nihil à paterna magnanimitate dege-
nerans, arma potius in extraneos hostes, quàm in
uicinos Sueones cōuertere studuit. Itaq; paterno
amplissimo imperio nō contentus, totas gētis sue
uires in Russos conuertit, à quibus lacepsitus fue-
rat, eosq; deuictos tributa dare coegit. Eo quidē
tempore Russi ferrum quatuor dispartitum stylis
pararant, ut in quamcunq; partem iaciatur confi-
stat, & superiori stylo calcantes lædat. Verùm Go-
thi à Starcathero edocti ligneos sibi calceos effe-
cerant, atq; hostium dolos irritos reddiderāt. Pro-

gressi deinde ad ulteriora Russiæ, omnia rapinis, flammis, & cædibus inuol-
uebant, donec tandem denuò per totum biduum concertantes, Gothi cruen-
tam uictoriam obtinuerunt. Hisce Vilmerus Nordianum filium præfecit, &
ipse in regnum redijt. Inde per multos annos cum summa authoritate latissi-
mi imperij sui terminos in fide & obsequio retinuit, atq; nomen inter claris-
simos reges ad posteritatem transmisit. Tandem moriens filium suum Nor-
dianum successorem accepit. Ioan. Mag. Hist. Goth. lib. 5. cap. 14.